189

LL.

HONORI ET AMORI

Amplissimi Viri

QVA ERVDITIO, QVA VIRTVS,
QVA HVMANITAS
PRÆSTANTISS.

DN.

CASPARIS VLRICI

IN REPVBL. STREGENSI SENATORIS ET NOTARII, FAVTORIS HONORANDI,

AMICI

STRENNÆ LOCO
ANAGRAMMATICOS HOSCE
LVSVS SACR. DIC.
OFFER.
VOLL. LVBB.

EX TYPIS
OFFICINAE SARTORIANAE
LIGIORVM
KAL. IAN.
A. C. MDC.

462816

Sz 2002/
898/22
[400,-]
Biblioteka Słowko
St 1749
10 10 2006

PLVS CVRA SACRI.
CIRCA PAR LVSVS.
CVRAS? CRAS PVLVIS.

CASPAR amicorum lepidissime, ocelle Senatus,
OVLRICE meis insite pectoribus!
Quæ tibi nomẽ utrumq; ter occinat, accipe sic ut
Sint oculis lectu non odiosa tuis.

Non dubium, tibi quin pariat Respublica curas,
Si tibi (ut est,) cura est curia, cura forum est,
Huc Genii, Ingenii nervos, huc dirigis omne
Consilium, quicquid viribus, arte potes:
Nemo tamen de te, me judice, nemo negabit,
Quin sit, ut & fas est, PLVS Tua CVRA SACRI,
Hæc, Christo svadente, beatior omnibus una
Cura est, eventu nec caritura, Bonis:
Post habitis sacris curare negocia Mundi,
Cura, haut eventus est habitura bonos.
Symbolon hocce Tuum & vox innuit ipsa precandi:
FIDE fer auxilium consiliumq; DEVS.

Thue hülff vnd Rath/ du treuer Gott.

Ecquid enim curare juvat civilia tantum,
Nî prior & potior cura sit illa sacri?
Aut quid profuerit totum lucrarier orbem:
AEternis animam præcipitare malis?
O homo quid CVRAS? CRAS PVLVIS, & umbra futuræ
Cur cor & ô CVRAS? CRAS quoq; PVLVIS erit.

Vos

Vos par conjugij, curis decet addere luſum,
Qui bene curarum temperet iſtud onus.
Chara graves curas ſoboles citò temperat: ecce
CIRCA PAR veſtrum, pignora LVSVS erunt.
Sit PLVS CVRA SACRI, dum CVRAS,
CRAS quia PVLVIS.
Dulcis erit CIRCA PAR quaſi LVSVS, amor.

CHRISTOPH. LINDNER
Freiburgi miniſter verbi.

AmpliS. acclariS. Vir Reipub. Strigenſis
Senator & Notarius digniS. Dn.

CASPAR VLRICVS

Ἀναγραμματίζει.

CVRA PARS LVCIS.

CVria, curarum quod ſit pleniſsima, dicta eſt:
Et benè; nam curas ventilat illa graves.
Sed ceu cura gravis; ſic gloria ſplendida: vivit,
Qui tractat curas, Curia ſacra, tuas.
Hinc quoque PARS LVCIS non ultima CVRA vocatur,
Cum mediâ faciat luce vigere Viros.
Et Tibi curarum data biga; Notarius vrbi
Dum Patriæ, ſimul & ritè Senator ades.
Aſt age! ſis conſtans tantâ ſub mole laborum;
Dona Tibi, famæ, laudis, honoris opes.

M. CASPAR CONRADVS
Vratisl. Med. Cand.

Caſpar

SIC PLVRA CVRAS: SI PVLCRA CVRAS.

QVæ nitet ac vario gemma est spectabilis usu,
Et precio superat multa talenta suo:
Non latet obscuras intra illa recondita sordeis,
Nec se carpentem sentit opaca situm.
Quin potius rutilo multâ arte locatur in auro,
Quam gerat adsiduo læta decore manus.
Qui valet, & multâ Vir commendatur ab arte,
Quiq; sua præstat sedulitate aliis:
Non is inarguti latet inter stamina Vulgi,
Ferre nec ad telam vilia fila solet.
Sed potius byssо & precioso intexitur auro,
Subtemenq; inter serica semper habet.
Hoc est, Humanæ capit ardua munia vitæ,
Atq; potest magnis addere rebus opem.
Nolo vagabundo rem nunc ostendere versu:
Quâ ratione probem, quod loquor, ipsus eris.
Non supero verum: leviter modò tangere mens est.
Non ego blanda viri verba dicacis amo.
Haut vulgare sapis, multâq; politus es arte;
Eloquio præstans; sedulitate vales.
Hinc schola Te primum pueros experta docentem;
Versantem Templi Musica plectra chorus.
Quæ loca laude pari multâ cum fruge tenebas,
Magnæq; exemplum dexteritatis eras.
Aurea Te sed nunc Respublica, ut Anulus, in se
Translatum cultu nobiliore fovet.

Et

Et quæ cauſſa? ſatis feliciter omnia vidit
Te ſchola curantem; ſenſit & iſta Forum.
Indè ſuos meritò Te Curia traxit ad uſus,
Ingenii admirans ſenſa ſubacta tui.
Et graviora catæ meliora q̃ munia dextræ
Offert, quám Trivij pulverulenta domus.
SIC CVRAS PLVRA, & SIC PLVRA ferunt tibi CVRAS,
Quid túm? SI CVRAS PVLCRA ſubindè, ſat eſt.
Multa olim ſcholicâ, CVRA SCIS PLVRA forenſi,
Vrbi ſic uſus, ſic Tibi major Honos.
Nec facis hæc precij magnivè cupidine cenſûs:
Ponitur in CASV PARS Tibi certa LVCRI;
Caſu, Fatalis quem temperat urna, jubetq̃
Nobis ignotâ currere lege DEVS.
Civica nam proprio præferre negocia lucro
Et mavis humeris publica ferre tuis.
Talia cúm præſtas, ſubit admiratio ſenſus
Multorum, tantis quêi ſatis eſſe queas.
Quêi ſatis eſſe queas his omnibus, haut ego miror,
Tám rata cúm Sciti verba rependo tui.
ALME, ais, AVXILIVM FER CONSILIVMQVE IEHOVA:
Hæc Tibi vota omni tempore Mente ſedent.
Polliciti memor hæc DEVS auribus haurit apertis;
Et fert auxilium conſiliumq̃ Tibi
Adjuva ſic Ratio, Mens & ſic Perfica nullo
Deſtituit curas fine, vir ample, tuas.

HEINRICVS LINDNER S. E.

Pura

PVRA SALVS CRVCIS.

Militiæ noſtræ ſub Chriſto teſſera Crux eſt;
Nam Crucis eſt nobis arbore parta ſalus.
Ergo Cruci placidè nos ſubjiciamus oportet,
Pro nobis tulerit cum DEVS ipſe Crucem.
Nam tu Crux Fidei noſtræq; probatio vitæ es,
Et ſpes impoſitâ ſub Cruce ſacra viget.
Parta velut Crucis eſt nobis ſuper arbore; ſic fit
Nunc quoq; noſtra CRVCIS momine PVRA SALVS.

H L. S. E.

CASPAR | VLRICVS.

PARCAS | CVRVLIS.

Nomen ad officii Te munia ducit & omen,
At dicit ductu, Clare vir, ampla ſuo;
Nempè monet, Civi PARCAS, utrumq;, CuRuLIS,
Dumq; monet, ſpondet præmia; CONSuLERIS.

L. LVDOVICVS.

Lignicii typis Sartorianis.

Biblioteka Śląska